



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

In Genesin Enarratio

Chyträus, David

Vitebergæ

VD16 C 2625

III. Allegoria Scalæ Iacob.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36126

V. Repetitio promissionum aeternarum & corporalium.

VI. De petitione rerum corporalium.

III. Locus.

Allegoriam Scale Iacob Christus ipse exponit Iohan. 3. his uerbis, Videbitis caelum apertum, & Angelos Dei ascendentes & descendentes super filium hominis.

Primum autem amplissima consolatio animis infigatur, quae affirmat caelum apertum esse, id est, Deum propitium esse, aditum ad Deum nobis patefactum, & irae diuinae repagula remota esse, Deum respicere inuocantes ipsum & saluare.

Deinde Scala pingit personam Christi, quae cum cumine caelum attingit, & in terra consistit, Sunt enim in Christo duae naturae uersae & unitae, altera caelestis & diuina, altera terrena seu humana de substantia uirginis adsumpta.

TERTIO. Beneficia Christi significantur. Ut enim Scala caelum & terram coniungit, sic filius Dei Ecclesiam cum Deo coniungit, & nos auulsos à capite ac horribiliter distractos iterum adglutinat Deo, ut Ephes. 1. dicitur. Adglutinat ad unum caput omnia in Christo, quae in caelis sunt & in terra. Nulla est autem alia Scala, qua in caelum ascendi

d & cendi

cendi possit, nullus alius aditus ad Deum patet, quam per et propter Christum filium Dei, ut Ioh. 14. dicitur, Ego sum uia, ueritas & uita, Nemo uenit ad Patrem nisi per me. Ioh. 10. Ego sum ostium, per me si quis intrauerit, saluabitur &c.

QUARTO. Angeli ascendentes & descendentes in Christi corpore, significant totam Ecclesiam ac precipue Doctores seu ministros Euangelij, qui primum duce Christo ascendunt ad Deum, & querunt reconciliationem cum Deo, & ab eo Euangelij lucem, Spiritum sanctum, & alia bona accipiunt. Postea uero descendunt, & per ministerium doctrinae diuina hominibus impertiunt.

QUINTO. Petra etiam seu lapis, quem Iacob capiti supponit, non inueniunt ad Christum accommodari potest, ut Esa. 28. & 1. Pet. 2. dicitur. Pono in Sion lapidem angularem, electum, preciosum, Qui crediderit in eum, non frustrabitur. Matth. 16. Super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam. 1. Corint. 3. Fundamentum aliud nemo ponat praeter id quod positum est, quod est CHRISTVS IESVS S. Psal. 117. Lapis quem reprobauerunt aedificantes, hic factus est in caput anguli.

Vt autem Iacob in lapide dormiens diuina consolatione confirmatur, ita nos fide in Christo adhaerentes pacem habebimus erga DEVM, & in omnibus aeternis gloriabimur in spe gloriae Dei. Rom. 5.